



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.  
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in  
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;  
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

**Poncius, Joannes**

**Lugduni, 1659**

Dispvatio III. De Actibus bonis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

Dices: contra hanc rationem, punimus bestias, quamuis putemus eas non agere libere, quando faciunt quod displicet: ergo ex eo, quod puniamus aut putemus aliquos dignos poenâ, non sequitur quod libere operentur.

Respondeo neminem rationabiliter punire bestiam ob aliquam actionem habitam ex eo, quod iudicet ipsam dignam poenâ ob illam actionem præcise, quasi ita agendo faceret aliquid indignum sua natura; sed punitur rationabiliter tantum, aut in ordine ad hoc, ut ipsamet castigatione permota absterneat deinceps à talibus actionibus, quæ malum aliquod aliis afferunt, aut ut, qui eius curâ habere deberet, inducatur ad habendam curâ eius ne talia committat deinceps; unde in forma.

Respondeo distinguendo antecedens: ex eo, quod putemus illas facere aliquid indignum sua natura, nego; alio modo, concedo; & similiter distinguo consequens; ex eo, quod putemus illos dignos poenâ, tanquam qui fecerunt aliquid indignum sua natura, cum possent id non facere, nego consequentiâ; alio modo concedo consequentiâ. Futuram examinationem huius difficultatis remitto ad locum citatum, ubi etiâ pro satisfactione curiosorum explicavi à quo formaliter habeat actus qui est liber, esse talis, & dico pro satisfactione curiosorum; quia quantum ad utilitatē aliâ omnē sufficeret cognoscere, quod omnes illi actus sunt liberi, qui procedunt à potentia, cum possent non procedere positis iisdem per se prærequisitis; à quocumque demum formaliter habeant illâ denominationem, siue à sua entitate absoluta, siue à denominatione aliquo sequente aut antecedente, siue à denominatione extrinseca desumpta à potentia quæ liberè eos producit.

An bruta habeant libertatem.

2. *Quæritur hic solum, an Bruta habeant libertatem; sed reuera parum hoc refert ad propositum; nam siue habeant aliquam, siue non, nullus vnquam somniavit, quod haberent libertatem sufficientem ad actum bonum aut malum; quia ad hanc requiritur cognitio boni honesti, quam nemo ipsis vnquam adscripsit, nec ulli iudicium habetur, ex quo illis talem cognitionem aut libertatem competere colligi possit.*

De alia autem libertate, quantum ad prosecutionē aut fugam boni delectabilis, aut mali incommodi, de qua solum dubitari potest.

Respondeo breviter cum communiori sententia probabilis esse eam ipsis non competere, quia nec illius etiâ sufficiens aliquod iudicium habemus; omnes. n., quas in illis experimur, operationes, (ex quibus solis à posteriori colligi potest à nobis) sine illa haberi possent, & eodē modo quo nobis constat eas ab ipsis procedere: nam cum aliquando retinent se à prosecutione alicuius boni delectabilis, quod aliâs persequuntur; aut cum amplectuntur illud, à quo alias fugiebant, id oriri posset absque libertate ex diuersa propositione obiecti, quod vno modo propositum posset necessario determinare ad prosecutionē & alio modo propositum vel non determinare ad vllū actum, vel determinare ad fugam.



## DISPUTATIO III.

### DE ACTIBVS MORALIBVS

#### BONIS.

**S**OLET actus moralis ut sic, de quo præcedenti disputatione, diuidi in actum bonum, malum ac indifferentem: cuius diuisionis sensus ac sufficientia non potest constare, nisi declarando, nūc sit actus bonus, & quid malus, & an detur actus indifferens, hoc est, qui neque bonus sit, neque malus.

Itaque prius agendum de actu bono, qualem dari, & e talem esse quemcumque; actum virtutis omnes concedunt; sed nō adeo facile est explicare, quid sit, aut à quo habeat esse bonus formaliter, ut patet ex dictis in meo Commentario in secundum distinct. 40. num. 47. Vnde

huc transferre breuiter placet, quod sufficit ad vtrūque explicandum, omittis variis dicendi modis ibi fuisse examinatis.

#### QVÆSTIO I.

Quid sit Actus bonus moraliter.

#### CONCLUSIO I.

2. **A**CTVS bonus moraliter est actus liber habens decentiam quandam ac pulchritudinem seu perfectionē, ob quam apparet quod sit dignum homine ipsum elicere. Probatur quia hæc ratio competit omni actui, qui de facto dicitur bonus moraliter, & non conuenit vlli actui, qui dicitur malus moraliter, aut indifferens; nec enim potest assignari vllus actus bonus, cui non competit; aut non bonus, cui competit: ergo est bona explicatio ipsius.

Quid est actus bonus moraliter.

Dices: non esse vllam rationem, ob quam actus, qui vocantur boni, ut sunt actus virtutum, dicantur habere huiusmodi decentiam potius, quā actus indifferēs, quo quis persequitur cibū dulcem ob merā delectabilitatem ipsius, quando non prohibetur eius prosecutio: ergo non bene describitur hoc modo actus bonus.

Respondeo primò, si verum esset antecedens, tunc non esse concedendum suppositum ipsius, nempe quod daretur actus indifferens ex natura rei, quamuis daretur ex opinione probabili.

Respondeo secundò, supponendo quod detur actus indifferens negando antecedens: nā imprimis à posteriori colligitur differentia aliqua ex eo, quod qui dicuntur boni existimentur communiter habere talem decentiam; actus vero, qui sunt indifferentes, non existimentur habere illam & ratio etiam forte à priori est, quod propter propensionem nostram ad bonum delectabile sensus, non videatur per se magni momenti aut decens particulariter hominem, quia homo est, illud appetere cum non sit bonum ipsius quoad partem rationalem, qua discernitur potissimum à bestiis.

#### CONCLUSIO II.

3. *Ut actus sit bonus formaliter, requiritur ut procedat ex cognitione, non tamen qua cognoscatur actus esse liber; nec qua cognoscatur reflexe, quod cognitio directa, qua proponitur obiectum actus seu honestas sit recta, nec consequenter qua cognoscatur bonitas formalis actus.*

Actus bonus debet procedere ex cognitione.

Probatur prima pars, quia ut sit bonus formaliter debet esse moralis, & ut sit moralis debet esse liber, & consequenter voluntarius; talis autem nequit esse absque cognitione, ut omnes fatentur.

Probatur secunda pars experientia communi, qua constat nos non aduertere, quando elicimus actus bonos aut malos, quod elicimus illos libere, & quia cognoscatur liber, gratis requireretur talis cognitio.

Non tamen quæritur quod actus, nec quod cognitio ex qua procedit sit recta.

Per quod etiam patet tertia pars, quia si non debeat præcognosci libertas, non debet præcognosci bonitas formalis, quæ sine illo cognosci nequit.

#### CONCLUSIO III.

4. *Ut actus elicitus prosecutionis sit bonus formaliter, debet præcognosci, quod obiectum ipsius sit bonum bonitate obiectina honesta, hoc est bonitate aliqua quæ non est utilis præcise, nec delectabilis præcise, sed distincta ab illis; ut etiam actus fuga sit bonus debet cognosci inhonestas obiecti.*

Ut actus sit bonus debeat cognosci iustitiam sit bonum.

Hæc patet quoad primam partem, quia ut actus bonus habeatur, debet proponi aliqua bonitas inuitans ad ipsum elicendum, sed non sufficit bonitas utilis præcise; nec bonitas delectabilis, quia actus habens obiectum cum tali bonitate posset esse malus: ergo requiritur cognitio alterius bonitatis.

Ut actus sit bonus debet cognosci iustitiam sit bonum.

Probatur secunda pars, quia si non cognoscatur, non est ratio ob quam fuga ipsius sit bona bonitate honesta magis, quam cuiuscumque alterius obiecti fuga; certum autem est multas alias fugas non esse bonas formaliter bonitate honesta, de qua loquimur.

De 4 CON

## CONCLUSIO IV.

5. *Ad bonitatem actus elicitæ prosecutionis non sufficit quod cognoscatur bonitas ipsius obiectiua honesta: nec ad actum bonum fuga sufficit cognoscere malitiam in honestam obiectiua; sed ulterius requiritur quod non videatur aliqua circumstantia mala; & præterea quod ad prosecutionem moveatur ab ipsa bonitate obiectiua, & ad fugam ab inhonestate.* Hæc quoad primam partem patet, quia si videretur adesse circumstantia mala, non deceret naturam rationalem; nec apparet honeste appetibile obiectum quod afficeretur tali circumstantia; & hinc subuentio pauperis ex re aliena non est bona. Probatur quoad secundam partem, quia si moueretur quis ad subueniendum pauperi ob vnam gloriam, subuentio non esset bona; & si quis retraheretur ab occisione hominis quam videret esse inhonestam, ob vanam gloriam, aut vt ex vita ipsius habere posset emolumentum ad male faciendum, non ageret bene.

*Ex his habetur quid realiter requiritur vt actus sit bonus nempe quod producat libere ab homine cognoscente bonitatem obiectiua, si sit prosecutionis aut malitiam obiectiua, si sit fuga, absque vlla circumstantia mala, & moto ab ipsa bonitate aut malitia præcognita; & hoc est quod vtile est ac necessarium cognosci ab omnibus, vt bene operentur.* Agitari tamen, vt moris est apud speculatiuos, solet alia mihi semper visa curiosa, ac prope dixerim inutilis questio, in quo consistat ratio formalis constitutiva actus inesse boni formaliter, seu à quo formaliter habet esse bonus illa bonitate formali; de quo etiam, ne his ipsis deum, quid ipse sentiam breuiter proponam.

## CONCLUSIO V.

6. *Actus qui est bonus, non habet esse talis formaliter à modo aliquo absoluto superaddito, neque à respectu aliquo reali aut rationis sequente.* Hæc est contra quamplurimos Authores, quorum nonnulli tenent aliquam ex negatis in ea partem.

*Probatur autem generaliter contra omnes; quia actus ipse, qui est bonus, antecedit omnes modos & respectus sequentes, & vt sic antecedit, est bonus, tum quia non est malus, nec indifferens: nam si esset non sequerentur nec modi, nec respectus illi, sed alij diuersissimi, tum quia gratis & absque fundamento id negaretur.*

*Confirmatur quoad modum absolutum, quia non est indicium vllum nec experientie, nec rationis à priori aut posteriori, quod detur vllus talis; vnde frustra omnino poneretur & contra commune axioma de non multiplicandis sine necessitate entibus.*

*Confirmatur secundo quoad respectum rationis, quia talis deberet poni in actu per considerationem aliquam intellectus aut potentie alicuius collatiua; quamuis autem nullam haberet intellectus considerationem per quam poneretur, aut potentia collatiua vllum actum, adhuc actus esset bonus.*

*Confirmatur tertio quoad respectum realem, quia ille etiam frustra superadderetur, & quamuis dicitur actus bonus habere conformitatem ad rectam rationem aut naturam rationalem aut legem, tamen hoc posset saluari absque respectu aliquo superaddito, quia ipsemet actus elicitus cum circumstantiis omnibus & conditionibus quas habet, quando est bonus, posset dici seipso esse sic conformis.*

## CONCLUSIO VI.

7. *Actus habet esse bonus formaliter ex suppositione sue libertatis à formalitate illa, à qua habet tendere in obiectum bonum, si sit prosecutionis; vel malum, si sit fuga, propositum per cognitionem, quæ formalitas est intrinseca, actui; vnde si libertas sit etiam intrinseca ipsi; tota ratio formalis est intrinseca ipsi; si vero non sit intrinseca sola bonitas formalis non est ipsi intrinseca; sed partim extrinseca partim intrinseca.* Hæc patet quoad primam partem; quia habet talē formalitatem, & nihil impedit quo minus dicatur esse ratio formalis constitutiva ipsius in esse

boni formaliter, nec aliquid aliud assignari potest à quo habeat formaliter esse bonus.

*Probatur secunda pars, quia nihil requiritur vt sit bonus quam vt habeat illam formalitatem & libertatem: ergo si vtrumque sit ipsi intrinsecum, tota formalitas, à qua habet esse bonus, erit ipsi intrinseca.*

*Probatur denique tertia pars, quia vt sit bonus formaliter, præter illam formalitatem à qua habet tendere in tale obiectum, requiritur libertas, ergo si libertas sit extrinsecum quid ipsi, tota formalitas, à qua habet esse bonus, non erit intrinseca, sed partim extrinseca, nimirum illud, à quo habet esse liber, & partim intrinseca, nimirum illa formalitas, à qua habet tendere in tale obiectum sic propositum.*

An autem illud, à quo habet esse liber, sit intrinsecum vel extrinsecum ipsi, patet ex dictis de libertate in disput. de Voluntate.

*Dices ille idem physicus actus liber, quo quis vult subuenire pauperi ob gratitudinem, vel indigentiam ipsius, quando non prohibetur, est bonus; & idem ille actus physicus si subuentio esset prohibita, esset malus: ergo supposita etiam libertate, non est intrinseca actui formalitas, à qua habet esse bonus; & consequenter conclusio est falsa.*

*Respondeo mihi satis probabile videri quod non possit idem actus elicitus esse bonus & malus pro diuerso tempore, quod declaro in eodem exemplo de subuentione pauperis; nam vt ille actus sit bonus, debet quis moueri à bonitate honesta ad ipsum eliciendum: si n. moueretur ex alia ratione mala aut indifferenti, volitio illa non esset bona, sed mala vel indifferens: licet ergo, quando proponitur subuentio absque prohibitione, possit quis videre honestatem illius, & propterea moueri ad eam volendam, & volitio illa esset bona moraliter; tamen quando postea cognosceretur prohibitio, non posset apparere bona, nec consequenter vt sic mouere ad volitionem honestam subueniendi; vnde, si adesset volitio subueniendi cognita prohibitione, non esset illa ipsa volitio subueniendi, quæ erat ante; quia illa haberet pro motiuo honestatem, altera non haberet, sed aliud aliquid, vnde manifestum videtur quod non sit eadem numero aut specie volitio in vtroque casu.*

*Quia tamen multi, non improbabiler forte, existimant eundem actum elicitum posse transire de bono ad malum & e contra.*

*Respondeo aliter concedendo antecedens & distinguendo consequens: non est intrinsecum absque connotatione alicuius extrinseci, concedo; cum tali connotatione, nego. Itaque illa tendentia quam habet volitio subueniendi, supposito quod non prohibeatur subuentio, erit bonitas, eo vero non supposito, non erit bonitas; vnde vt habeat denominare actum bonum, debet connotari negatio prohibitionis.*

## QVÆSTIO II.

*Vnde desumitur bonitas specifica actus boni.*

8. *Certum est, vt sunt varij actus boni, ita plures ex illis non tantum numero, sed specie etiam inter se distingui: hic ergo quaritur, vnde desumant suam specificationem; Pro quo aduerto actum bonum dependere à persona quæ elicit ipsum; modo, quo elicitur; obiecto tam terminatio, quam motiuo, circa quod versatur; loco & tempore; in quibus elicitur; sine extrinseco, ad quem ab operante ordinatur, & modis, quibus vitur ad eius prosecutionem, quæ omnia vulgari versu hoc comprehenduntur.*

*Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando.*

*Quo versu per ly quis significatur persona, quæ agit, cuius sane consideratio omnino necessaria est, vt cognoscatur species actionis moralis; nā si subueniens pauperi esset diues & cetera adessent necessaria, subuentio esset bona; sint esset æque pauper ac indigens, alijq; magis prouidere teneretur, non esset bona. Deinde humiliatio in plebeio esset bona, quæ non esset in principe, & satisfactio Principis cæteris parib; esset melior, quā plebei.*

Per

Quid  
preterea  
requiritur  
ad actum  
bonum.

An illud  
sit ipsi in-  
trinse-  
cum.

Actus nō  
habet esse  
bonus  
formaliter  
ab aliquo  
modo  
absoluto  
aut res-  
pectu  
sequente.

A quibus  
dependet  
actus boni  
nec.

A quo ha-  
bet esse  
bonus  
formaliter

Per quid denotatur obiectum, circa quod versatur operans, quod aliquando est actus imperatus, vt subuentio pauperis, visitatio infirmorum; aliquando non est actus, vt cum quis amat Deum.

Per ubi intelligitur locus, qui etiam est considerandus, quia actio quæ bene fieret in vno loco, posset esse mala in altero.

Per quibus auxiliis significatur conditio mediorum, quibus quis velit aliquid facere, vt si ex bonis propriis vel alienis subueniat pauperi; si interfecerit armis legitimis, aut illegitimis illum, quo cum pugnat.

Per ly *Cur* intelligendus est finis seu motuum, quo quis ducitur ad operandum; quia vero contingit quod motuum operantis sit coniunctum cum obiecto, circa quod versatur, vt cum amat Deum ob suas perfectiones, aut cum subuenit pauperi ex eo, quod subuentio appareat bona; aliquando vero est extrinsecum illi obiecto, vt cum quis subuenit pauperi ob vanam gloriam, aut ad acquirendam gratiam.

Hic per ly *cur* posset vtrumque motuum denotari, & certe vtrumque est considerabile & faciens multum ad mutandas species actionum.

Per ly *Quomodo* significatur modus, quo fit operatio, vt si magis aut minus libere; citius aut tardius.

Denique per ly *Quando* intelligitur tempus, vt si actio fiat die festo aut feriali; de die aut de nocte.

10. *Certum* autem est quod actio, vt sit bona, non debeat habere vllam circumstantiam inficientem; quia alias non esset bona; malum enim ex quocumque defectu; nec minus certum est, quod possit habere bonitatem aliquam ex omnibus his circumstantiis; seu capitibus, nã aliqua actio eo melior fieri potest, quo fit à meliori persona circa excellentius obiectum, decetiori loco, mediis magis proportionatis, finem nobiliorem, citius, ac etiã de die vel de nocte: sed tamen non debet semper sumere bonitatem ex omnibus his capitibus, aliquæ enim sunt actiones, ad quarum bonitatem parum refert, quado eliciuntur, an scilicet de die vel de nocte, vt actus potissimũ interni; & sunt alii actus, qui non habent finem extrinsecum, nec indigent mediis distinctis à potentia; vt sunt actus elicti voluntatis, quibus tendit in obiectum propter perfectionem ipsiusmet.

## CONCLUSIO I.

11. *Bonitas substantialis actus sumitur ab obiecto in quod tendit.* Probatur, quia bonitas substantialis est illa, sine qua nequit esse, & cum qua sola posset esse bonus sine vlla alia: sed talis est quæ desumitur ab obiecto, in quod tendit tactus; nam nisi intelligatur esse bonũ tendere in obiectũ, non potest actus esse bonus, & si id intelligatur, & quis propterea velit tendere, actus erit bonus: ergo.

*Obiicitur* 1. ab eo sumit bonitatem substantialem, à quo sumit specificationem: at non ab obiecto, sed à fine extrinsecum quandoque sumi specificationem: nam si quis vellet temperate viuere ad conseruandam castitatem, ille actus esset speciei castitatis, non vero Temperantiæ.

*Respondetur* negando minorem: nam nisi bonum esset ferri in tale obiectum ob talem finem, actus non participaret bonitatem finis: vnde si quis vellet ob castitatem ieiunare cum id prohiberetur ipsi, non eliceret actum castitatis.

*Obiicitur secundo*, si bonitas substantialis actus desumeretur ab obiecto, omnis actus bonus deberet habere obiectum bonum, sed hoc est falsum, quia nolitio obiecti mali est bona, & tamen ipsum malum, quod est obiectum eius, non est bonum.

*Respondetur* breuiter negando maiorem in sensu proprio; nam soli actus prosecutionis boni debent habere obiectum bonum, actus vero boni habent obiectum malum, & à malo potest desumi ipsorum bonitas, quia ex eo, quod obiectum sit malum, apparet quod fuga ipsius, qua tale est, sit bona.

*Verum quidem est*, quod omnis actus bonus debet habere obiectum, circa quod bene quis possit habere actum talem, & si hoc esset, obiectum esse bonum posset

quis admittere, quod omnis actus bonus haberet obiectum bonum; sed modus ille loquendi videtur improprius valde, eo tamen admisso concedi deberet maior, & negari minor cum probatione; nam ipsum obiectum malum est bonum in hoc sensu: nam circa ipsum bene potest quis habere actum fugæ.

## CONCLUSIO II.

12. *Actus aliquando sumit honestatem distinctam à speciei ab illa quam sumit ex obiecto, à circumstantiis, aliquando non; sed illa ipsa bonitas, quam habet ab obiecto augetur ratione aliquarum circumstantiarum.*

Hæc est communissima. Probatur prima pars, quia nolens furari in loco sacro ob considerationem non solius malitiæ, quæ est in furto, quatenus est contra iustitiam; sed etiam illius, quæ esset ex eo, quod fiat in loco sacro, habet actum bonum bonitate iustitiæ ex obiecto (si tamen quod hic suppono possit habere vnum actum, quo ob vtramque rationem nollet furari) & etiam bonitate Religionis, quæ est distincta speciei ab altera, desumpta à circumstantia loci, in quo esset furandum: sic vt qui vellet furari in tali loco haberet malitias distinctas speciei ab vtroque illo capite: ergo vera est prima pars.

*Probatur secunda pars*, quia melior esset humiliatio personæ dignioris, quam indignioris ob circumstantiam personæ, non tamen bonitate distincta rationis à bonitate ipsiusmet humilitatis; & qui exerceret actum charitatis tempore incommodo, vt cum plueret, melius faceret ob difficultatem actus ortam ex circumstantia temporis, quam qui alio tempore, quo non esset tanta difficultas, ipsum exerceret, non tamen bonitate distincta speciei: ergo vera est secunda pars.

Hic autem queri posset, quanam circumstantiæ addunt bonitatem specificam distinctam & quanam non.

*Respondetur*, sicut cognoscitur ex natura obiectorum, quanam influunt bonitates speciei distinctas & quanam non influunt, idè dicendũ de circumstantiis, & vniuersaliter quando bonitates spectant ad diuersas virtutes erunt diuersæ speciei.

## CONCLUSIO III.

13. *Bonitas circumstantialis, seu orta ex circumstantia actus, si idem actus numero possit esse cum bonitate desumpta ab obiecto absque illa circumstantiali, est accidentalis ipsi realiter; si vero non possit, est ipsi essentialis; vocari tamen potest circumstantialis; & non substantialis, quatenus potest intelligi ille ipse actus esse bonus ex bonitate obiecti, quāuis non intelligatur bonitas illa deriuata ex circumstantiis; nisi in casu quo obiectum appetitur tantum tanquam medium ad finem aliquem bonum, quia tunc nequit intelligi bonitas illa medijs, quin intelligatur bonitas finis.* Hæc etiam in re debet esse communis. Probatur prima pars, quia si potest esse actus absque bonitate desumpta ex circumstantia, hæc sine dubio erit illi accidentalis, quia potest adesse & abesse.

*Probatur secunda pars*, quia si non potest esse actus sine illa, nihil impedit, quo minus sit de essentia ipsius; & propterea non posset esse absque illa, quia esset de essentia ipsius; neque enim potest esse proprietas eius, quia si esset, fluere ex bonitate obiecti; sed hoc est falsum, quia alius actus posset esse bonus ex bonitate eiusdem obiecti absque bonitate illa circumstantiali. Tertia pars patet ex ipsius explicatione adiuncta.

## CONCLUSIO IV.

14. *Vt circumstantia influant bonitatem in actum, debet cognosci ab operante & debet apparere ipsi, quod bonitas aliqua ab ipsis deriuatur in actum.*

Hæc est communis & probatur, quia vt bonitas obiecti influat debet cognosci: ergo & bonitas circumstantiæ; quia non est maior ratio, de vno quã de altero. *Confirmatur*, quia vt circumstantia influat malitiã, malitia debet cognosci, alias qui furaretur in loco sacro, quæ nõ cognoscit

Bonitas  
substan-  
tialis a-  
ctus sumi-  
tur ab ob-  
iecto.

Actus circa  
circumstan-  
tialis  
quando  
que sumit  
honestatem  
diuersæ  
speciei  
ab ea quã  
habet ab  
obiecto.

Aliquan-  
do non  
sed quan-  
doque au-  
getur illa  
ipsa.

An boni-  
tas circū-  
stantialis  
sit acci-  
dentalis  
actui.

vt circū-  
stantialis  
influat  
bonitatem  
debet  
cognosci.

eognosceret inculpabiliter esse talem, committeret sacrilegium, sicut & ille etiam, qui quamvis cognosceret locum esse sacrum, non cognosceret tamen, quod esset peius in ipso quam in quocumque alio loco furari, quod est absurdum: ergo idem dicendum de circumstantia influente bonitatem.

*Obiicies* circumstantia personæ reddit operationem meliorem: si enim sit grata Deo, verbi gratia, aut filius ipsius adoptivus, operatio bona ipsius erit melior, quam si non esset; sed tamen illa circumstantia non debet cognosci, alias operationes iustorum, qui non cognoscunt pro hoc statu se esse gratos aut filios, non reciperent bonitatem, ex illa circumstantia: ergo ut circumstantia influant bonitatem non debent cognosci.

*Et si dicas*: hoc esse verum de aliquibus, non vero de omnibus circumstantiis.

*Contra*, quia non est maior ratio, cur alia circumstantia debeant cognosci, quam illa, si dicas esse rationem; quia alia circumstantia se tenent ex parte obiecti, & propterea ut obiectum debet cognosci, ita & illa circumstantia vere personæ non se tenet ex parte obiecti.

*Contra*: quia adhuc non est ratio, cur circumstantia tenentes se ex parte obiecti debeant cognosci potius, quam quæ se tenent ex parte personæ, & certum est, quod circumstantia se tenens ex parte personæ, ut influat bonitatem, debeat aliquando cognosci, si enim aliquis qui verè esset princeps, & non cognosceret se esse talem, humiliaret se, non magis humiliatio ipsius ex parte personæ esset bona, quam si non esset reuera princeps, esset autem melior, si cognosceret se principem.

*Et si dicas* circumstantiam personæ debere cognosci, ut circumstantia tenentes se ex parte obiecti, quando bonitas, quam influit in actum, propterea influitur, quia actus sit libere ab operante propter ordinem illum, quæ dicit ad illam circumstantiam, unde quia bonitas derivata in actum ex eo, quod persona sit grata, non provenit ex eo, quod actus fiat libere ob ordinem, quem dicit ad illam circumstantiam; sed ex eo, quod sit actus personæ, quæ est grata, propterea illa circumstantia non debet cognosci.

*Contra*: quia non apparet ratio, cur possit circumstantia personæ gratæ influere bonitatem in actum absque eo, quod actus eliciatur libere ob ordinem, quem dicit ad illam circumstantiam potius, quam alia circumstantia.

*15. Respondeo breviter* supponendo, quod actus hominis grati cæteris paribus sit melior, de quo dubitari posset loquendo de bonitate morali, quia quamvis ex eo, quod persona sit gravior, actus etiam sit talis, (magis enim placent actiones hominum, quos magis amamus) & propterea habeat bonitatem maiorem, hoc est maiorem acceptabilitatem, tamen fortassis non est magis bonus in genere virtutis illius, neque enim Pater acceptans potius ad præmiū operationis filii, verbi gratia, eleemosynam factam ab ipso, quam alterius, potest tamen putare, quod magis virtuosè dederit eleemosynam, quam alius, qui cum similibus omnibus circumstantiis dederat eleemosynam, excepta circumstantia filiationis. Sed supponendo tamen quod sit melior cæteris paribus.

*Respondeo* concedendo maiorem, & minorem obiectionis, & distinguendo consequens: omnes, concedo; aliqua nego, & sic debet intelligi conclusio, cur autem aliqua & quamnam debeant cognosci; & aliqua; ac quænam non debeant, ex ipsarum natura cognoscendum est; nam apparebit ex hoc ipso: & ratio à priori erit, quod hoc est hoc, & illud est illud ut solet dici; à posteriori autem colligendum est ex eo, quod ita appareat.

## CONCLUSIO V.

Bonitas de  
xiuanda à  
circum-  
stantiis co-  
gnoscitis  
debet in-  
tendi.

*16. Bonitas omnis, quæ desumitur ex circumstantiis, quæ debent cognosci, debet intendi directe non minus, quam bonitas desumpta ex obiecto.* Hæc est communis & probatur, quia non apparet, quod influat bonitatem nisi intendatur directe, apparet autem si intendatur, & hinc Philosophus 2. Ethicorum 4. ait: ut quis agat recte, oportet ut operetur sciens & eligens propter

ipsa. 1. propter honestatem, quam considerat in obiecto vel actu.

*Obiicies*: pro Sala & Medina qui putant, quod indirecta ac interpretativa intentio bonitatis sufficit, quæ intentio habetur quamvis aliquis videns bonitatem in actu, ipsum ponit, quamvis directe eam non intendat, ut si quis videret ex largitione publica eleemosynam posse alios moveri ad dandam eleemosynam, nam quamvis directe non vellet quod mouerentur, sed propter honestatem eleemosynam tantum moueretur directe, vellet tamen indirecte illam alteram bonitatem.

*Obiicies*, inquam, pro illis: qui videt malitiam in actione, quamvis non velit illam directe, sed directe tantum velit bonitatem aliquam; quæ est in actione, adhuc male ageret: ergo similiter qui videt bonitatem in actione quamvis eam non intendat, sed aliquid aliud, adhuc bene ageret, supposito saltem quod non adesset aliqua circumstantia mala, & consequenter non debet directe intendi bonitas.

*17. Confirmatur*, quia secundum multos ex iis, qui tenent conclusionem, omisso pura mali est bona, quamvis non directe intendatur bonitas, eo quod tum indirecte intendatur: ergo sufficit indirecta intentio bonitatis ut actus sit bonus.

*Respondeo* negando consequentiam; quia apparet ex terminis non debere fieri, quod videtur esse malum siue intendatur, siue non; non apparet autem esse bonum facere, quod est bonum nisi intendatur, sed potius apparet, quod non sit bonum, quamvis forte non esset malum id facere, sed indifferens, si nimirum bonitas, quæ intenderetur directe esset indifferens.

*Ad confirmationem*, nego omissionem illam mali esse bonam, alio modo, quam actus indifferens est bonus, hoc est quatenus non est malus; & qui auctores putant eam, esse bonam aliter, meo iudicio inconsequenter loquuntur dum tenent hanc conclusionem.

## QVÆSTIO III.

*An idem actus elicitus possit participare diversas specie bonitates à diversis specie motibus.*

**H**æc quæstio eadem in re est cum alia, qua quaeritur an eodem actu elicitu possit quis intendere diversos fines, aut diversas specie bonitates obiectivas, ut velle subvenire pauperi, à quo recipit beneficium, ob motuum gratitudinis ac misericordiae, procedit autem ex suppositione, quod non sufficiat indirecta intentio bonitatis; nam si sufficeret, non esset dubium quin actus elicitus posset participare omnes illas bonitates; & præterea supponit, quod actus dicat ordinem intrinsecum ad bonitatem quamcumque, quæ intenditur per actum; de quo postea, nam si non diceret, etiam posset participare omnes illas bonitates.

## CONCLUSIO I.

*18. Non potest quis eodem actu intendere duos fines, quorum uterque aut nullus sit totalis.* Probatur ex principiis, ex quibus in Philosophia ostensum est non posse effectum eodem 2. An simul duos fines alteruter est totalis.

*Obiicies*: Medicus qui ob stipendium solum determinat sanare infirmum, potest etiam ulterius moveri ob intercessionem amici, aut aliquam aliam rationem: ergo falsa est conclusio.

*Respondeo* negando consequentiam, quia quando determinat curare ob solum stipendium; habet actum distinctum ab eo, quem habet, quando non solum ob stipendium, sed etiam ob intercessionem amici vult curare; & licet prioris actus finis totalis esset stipendium; non tam alterius quo movetur etiam ob intercessionem, & huius actus

Neque quis in-  
tere vno  
alio duas  
bonitates  
obiectivas  
quorum  
qualibet  
mouet.  
partialiter

actus neuter ex illis est finis adæquatus, sed uterque partialis, si tamen habeat tum vnum actum respicientem vtrumque.

*Dices:* etiam si non accederet intercessio amici, moueretur totaliter à stipendio: ergo stipendium, etiam ueretur totaliter intercessione; est finis adæquatus.

*Respondeo* distinguendo antecedens ad eandem volitionem, ad quam mouetur etiam propter intercessionem negatur, ad aliam conceditur, & nego consequentiam.

## CONCLUSIO II.

19. *Non potest quis intendere vno actu duas bonitates obiectivas, quarum qualibet esset motuum particulare.* Probatur hæc conclusio contra multos oppositum sentientes, quia ille actus vnus esset distinctæ speciei à quolibet actu, qui respiceret vnum tantum ex illis motiuis, & consequenter deberet causare habitum distinctum ab habitu generato per quemlibet ex illis actibus, verbi gratia, actus, qui esset ob motuum liberalitatis & misericordiae, deberet generare habitum distinctum ab habitu misericordiae & libertatis: sed hoc est inconueniens: ergo inconueniens est dari talem actum.

*Probatur minor*, primo quia non est à Philosophis facta vlla mentio de tali habitu, nec nomen aliquod ipsi impositum, quod signum magnum est eum ab illis non fuisse cognitum. Secundo & principaliter, quia nulla est necessitas ipsius aut utilitas: nam quidquid posset ipsum præstari, præstaretur æque bene per habitus liberalitatis & misericordiae, quos certum est dari, & qui æque facile possunt acquiri ac ille habitus: faciliteretur enim quis per illos duos habitus ad votendum subuenire pauperi verbi gratia ex illis duobus motiuis, & præterea possent acquiri, quoties acquiri posset, ille habitus, si tum haberentur duo actus, quorum quilibet esset determinatus ad vnum ex illis motiuis, & tam facile possent haberi duo actus simul respicientes illa motiua, quam vnus, qui vtrumque respiceret.

20. *Probatur secundo*, quia posset sine dubio voluntas habere duos actus, quibus feratur in illa plura motiua, cum in hoc nulla sit difficultas: ergo de facto habet duos actus quoties determinatur ab illis duobus motiuis: sed hoc supposito omnino frustraneus ac inutilis est vnus actus qui respiceret vtrumque, & propterea non est concedendus. Probatur prima consequentia, in qua sola est difficultas, quia non potest determinare se voluntas ad duos illos actus alio modo, quam se determinat, quando dicunt aduersarii, quod habet vnicum: ergo tum determinat ad illos duos.

*Confirmatur* vltimus per dicta in Commentario dist. 40. num. 106. & 107.

*Obiicit* pro aduersariis, constat experientia, quod feramur in duas bonitates simul, & vnicò actu: ergo datur talis actus.

*Confirmatur*, quia vnicò actu tendimus in bonitatem obiectivam & circumstantialem: ergo & in duas obiectivas.

*Respondeo*, negando antecedens pro secunda parte, neque enim quantum ad experientiam possumus colligere, quod vno potius feramur, quam duobus; aliàs non posset esse controuersia de hac re; sed id colligi debet per rationem.

*Ad Confirmationem* etiam nego antecedens propter fundamenta conclusionis, quæ aut æque concludunt conclusionem ac oppositum huius antecedentis; aut si non concludant æque de vtroque; tum negari debet consequentia propter illam disparitatem, ob quam non æque concludunt.

*Aduerto* autem hic quantum ad utilitatem practica perinde prorsus esse, an vno vel pluribus actibus quis velit illas diuersas bonitates; vnde hæc difficultas est vna ex speculatiuis curiosis.

## QUÆSTIO IV.

*An actus electionis habeat bonitatem specialem distinctam à bonitate intentionis.*

21. *A* Duertendum, perinde esse quantum ad resolutionem huius quæstionis, an actus inten-

tionis distinguatur realiter ab actu electionis, an vero vnus realiter actus sit intentio & electio secundum diuersas considerationes: nam si quando essent distincti realiter actus, electio haberet bonitatem distinctam à bonitate intentionis: ita etiã quamuis esset vnus actus, tamen ille ipse, quatenus electio, haberet bonitatem distinctam ab ea, quam haberet; quatenus intentio est: magis tamen clare appareret res, si essent actus distincti, vnde quia probauimus disp. de voluntate quod sint actus distincti, id hic claritatis causa supponamus. Quia vero non est dubium quin electio mediij conducentis ad bonum honestum, de qua loquimur sit bona & quidem bonitate numero distincta à bonitate intentionis, nam qui habet electionem & intentionem numero & realiter distincta, habet duos actus bonos; propterea sensus controuersia videtur esse, an electio possit habere bonitatem distinctam specie à bonitate intentionis, & an ratione bonitatis utilis suæ ita participet bonitatem, vt vna electio possit esse melior alia ordinata ad eundem finem; si enim alterum ex his fieri potest, vera erit pars affirmatiua huius quæstionis.

## CONCLUSIO I.

22. *Electio habet bonitatem specialem à bonitate mediij. Electio ita vt ex duobus mediis conducentibus ad eundem finem, electio vnus possit esse melior quam alterius.* Probatur, quia ex duobus mediis vnum potest esse magis conducentis ad finem quam alterum: sed apparet ex terminis melius esse applicare medium magis conducentis: ergo electio vnus mediij respectu eiusdem finis potest esse melior altera: sed illa maior bonitas non potest desumi à fine, qui idem est: ergo desumitur à bonitate mediij & consequenter electio habet specialem bonitatem distinctam à bonitate intentionis.

## CONCLUSIO II.

23. *Si sufficeret indirecta ac interpretatiua intentio bonitatis vt actus participaret illam bonitatem, posset electio habere distinctam specie bonitatem à bonitate finis & intentionis.* Probatur quia obiectum electionis posset ex se habere distinctam bonitatem à bonitate finis: sed si distinctam haberet talem & proponeretur eligenti, in casu conclusionis electio participaret ipsam: ergo.

*Probatur maior*, quia si quis eligeret dare stipendium medico, à quo recepit beneficium in ordine ad sanandum amicum, in dando stipendio tali medico esset bonitas gratitudinis obiectivæ, quæ bonitas esset diuersæ rationis à bonitate charitatis, aut amicitie, quæ esset in amore finis, quæ est sanitas amici.

*Hinc sequitur*, quod si quis posset intendere duas bonitates distinctæ rationis, posset etiam electio participare bonitatem distinctæ rationis à bonitate finis, etiam si ad participandum bonitatem deberet directe intendere quia posset voluntas intendere dare stipendium medico, & ex eo quod recepit ab ipso beneficium, & in ordine ad succurrendum amico, & id faciendo datio pecuniæ medico participaret bonitatem charitatis & gratitudinis; non posset autem, vt patet, participare illas in eo casu, nisi eodem actu posset quis velle vtramque.

## CONCLUSIO III.

24. *Absolute loquendo de facto electio potest habere bonitatem distinctam specie à bonitate intentionis.* Probatur, quia si quis intenderet ex gratitudine sanitatem alicuius, & intentio illa haberet bonitatem gratitudinis sicut & obiectum, quod est finis eius, & si idem consideraret, quod actus charitatis esset bonum medium ad obtinendum à Deo sanitatem illam, & propterea eliceret actum charitatis, actus ille esset electio, sed certum est quod haberet bonitatem charitatis quæ est distincta rationis à bonitate gratitudinis: ergo conclusio est vera.

*Quod autem* possit applicari actus charitatis tanquàm medium ad talem finem, in quo solo est difficultas probationis huius, patere videtur tum quia non repugnat, tum quia sicut potest voluntas imperare actum externum, cur non posset internum; tum quia videtur conforme experientie.

QVA

Si sufficiat  
ret indire-  
ta intentio  
bonitatis  
posset  
electio  
habere dis-  
tinctam  
specie bo-  
nitatem à  
bonitate  
finis.

Et idem di-  
cendum si  
quis posset  
simul  
intendere  
duas bo-  
nitates  
eodẽ actu.

Potest ele-  
ctio habere  
re distin-  
ctam boni-  
tatem à  
bonitate  
intentionis.

Sensus  
quæstio-  
nis.

## QVÆSTIO. V.

*An actus imperans participet bonitatem ab imperato  
ac è contra.*

Actus  
imperans  
actum  
externum  
participat  
bonitatem  
ab illo &  
è contra.

25. **A**CTVS imperans actum externum habentem bonitatem obiectiuam, vt subuentionem pauperis, participat illam bonitatem si intendatur, vt est extra controuersiam, & apparet ex terminis, modo non adsit circumstantia vlla inficiens. Similiter actus externus subuentionis proueniens ab actu tali interno participat bonitatem formalem ab illo, siue eandem quam ipsemet habet, siue diuersam; nam certum est, quod subuentio externa, proueniens ab actu interno bono imperante, sit bona formaliter; & quamuis hinc sequatur, quod actus imperans dependeat à bonitate imperati & è contra; hoc tamen non est inconueniens, nec infert vitiosum circulum aut dependentiam mutuam quoad idem: nam imperans dependet à bonitate obiectiuam actus imperati, à quo eam mutat, & imperatus non accipit bonitatem obiectiuam ab imperante, sed formalem.

*Difficultas* ergo est de actibus imperatis elicitis, qui scilicet eliciuntur ab ipsamet voluntate, ex imperio tamè alterius actus voluntatis ab ipsa pariter elicit: an participent à se inuicem bonitatem: quod autem possit elici vnius actus voluntatis ex imperio alterius iam docui in fine quaestionis praecedentis: potest vero contingere duobus modis. Primo, si voluntas considerant bonitatem alicuius actus per alium actum reflexum vellet illum elicere, vt si consideraret honestatem particularem, quae est in amore Dei, vellet elicere talem actum reflexum, qui haberet pro obiecto ipsum amorem, qui actus reflexus significatur per hanc propositionem: volo elicere actum charitatis aut actum amoris diuini. Secundo, si consideraret vnum actum elicatum esse medium ad aliquid à se amatum, & propterea vellet ipsum imperare ob illum finem.

## CONCLUSIO I.

Actus  
imperans  
alium  
actum  
elicatum  
bonum  
est bonus  
illa boni-  
tate.

26. **A**ctus imperans alium actum elicatum bonum quacumque bonitate honesta, est bonus bonitate desumpta ab illa bonitate, non tamen semper erit eiusdem speciei cum actu imperato.

*Probat*ur quia actus imperans externum bonum est bonus bonitate desumpta ab illa bonitate: ergo idem est de imperante actum elicatum bonum à paritate rationis.

*Confirmatur* quia est euident, quod sit bonum velle elicere actum quemcumque bonum.

Non tamè  
semper  
eiusdem  
speciei  
cum illo.

*Probat*ur secunda pars, quia si quis imperaret actum charitatis, quia videret ipsum esse medium bonum ad obtinendum à deo gratiam poenitentiae, ille actus imperans esset actus poenitentiae; actus vero imperatus esset actus charitatis.

## CONCLUSIO II.

Actus im-  
perans  
elicatus  
non par-  
ticipat  
bonitatem  
formalem  
actus im-  
perantis.

27. **A**ctus elicatus imperatus non participat bonitatem formalem actus imperantis. Hæc est Valquius disput. 51. c. 5. Conninki de virtutibus disp. 3. dub. 3. contra multos quos citat & sequitur Auerſa q. 20. f. 1.

*Probat*ur primò, quia non est eadem ratio de actu interno imperato & actu externo: ergo conclusio est vera. *Probat*ur cōsequētia, quia propterea negatur ab aduersariis, quia putant esse eandem rationem de utroque. *Probat*ur antecedens, quia actus externus non fit ob aliud motiuum, nec per aliam libertatem à libertate actus imperatis: vnde debet participare illam bonitatem sicut & participat libertatem; sed actus elicatus imperatus habet suum motiuum distinctum à motiuo imperantis & libertatem propriam, secundum quam possit non esse, quamuis esset actus imperans ipsum: ergo non est eadem ratio de ipso ac actu externo imperato.

*Probat*ur secundo, quia eatenus actus elicatus imperatus participaret bonitatem actus imperantis, quatenus aut actus imperans aut obiectus eius moueret vel efficienter,

vel formaliter voluntatem ad productionem eius, aut ipsemet intrinsece diceret ordinem ad illum finem, neque enim alias imaginari potest, cur participaret bonitatem illam: sed ex his capitibus non sequitur, quod eam participet: ergo.

*Probat*ur minor, quia non dependet effectiue ab actu impetante aut obiecto ipsius, nam ipsa voluntas sola cum habitu charitatis est causa adæquata actus charitatis, etiā quando imperatur; nā sufficit, & gratis assereretur aliā causā præterea concurrere effectiue & physice: nō respicit etiā illud motiuū ex natura sua intrinseca, quia sic respicit solū motiuū charitatis, nec potest idem actus ex natura sua physica respicere duo motiua diuersa: rationis vt supra dictū est. Quod autē determinetur, seu potius inclinetur voluntas ex motiuo actus imperantis seu per ipsum actum imperantem ad elicendum actum elicatum imperatum non sufficit; quia posset sic determinari quamuis actus imperans non esset liber, vt si produceretur à solo Deo, hinc autem non esset bonus, nec consequenter actus imperatus, esset bonus bonitate desumpta ab ipso.

*Confirmatur*, quia si actus elicatus seu internus imperatus participaret bonitatem ab actu imperante, participaret etiam malitiam à malitia imperantis: sed hoc est inconueniens, quia alias infici posset actus charitatis malitia, vt quando imperaretur ex fine gloriæ vanæ, contra communem Theologorum sententiam.

28. *Obijci*es: Actus virtutum moralium sunt meritorij de condigno vitæ æternæ, quando ordinantur ad finem charitatis, vel imperantur per actum charitatis: nec essent sic meritorij nisi à charitate imperarentur: ergo non solum possunt sic ordinari, sed etiam ex eo quod ordinantur, participant bonitatem aliquam, quam alias non haberent, ab actu charitatis imperante; alias non esset ratio, ob quam, quando imperarentur à charitate, essent meritorij, & quando non imperarentur, non essent: & consequenter falsa est conclusio.

*Respond*eo admittendo antecedens, quamuis sit in controuersia inter Theologos in materia de merito, & distinguendo cōsequens: actus externi, concedo; nec hoc est cōtra conclusionē; interni eliciti, nego antecedens.

Quod si actus etiam eliciti essent meritorij; quando imperarentur ex motiuo charitatis, hoc non esset ex eo quod tum haberent maiorem aliquam bonitatem intrinsecam moralem virtutis, quam alias haberent, sed ex eo, quod Deus ordinauit dare ipsis præmium, quando sic ordinarentur.

*Respond*eri posset secundo negando consequentiam pro secunda parte; ratio enim esset alia, quia Deus sic instituit.

## QVÆSTIO VI.

*An actus externus superaddat bonitatem actui interno.*

29. **I**llum est supra quod actus imperatus externus sumat bonitatem suam formalem ab actu imperante ita, vt omnis ille actus externus sit bonus, qui est imperatus per actum bonum internum; & quod actus imperatus sumat suā bonitatem à bonitate obiectiuam actus imperati, ita vt nō possit actus imperatus esse bonus, quin actus imperatus sit bonus: ex quo sequitur quod vterque sit bonus & quidem formaliter, quando producuntur præsertim absque aliqua circumstantia vitiantē. Sed queritur an actus externus addat bonitatem aliquam moralem actui interno, ratione cuius is, qui habet actum internū simul cum externo, sit magis laudabilis ac præmiō dignus ex natura rei, quā si solum haberet ex illis duobus eundem ipsum actum internum cum eadem perfectione ex omni capite præter solum defectū actus externi; & ex duobus, quorum vnus haberet intensissimam voluntatem edificandi propter honorē Dei templum, & non edificaret ipsum propter defectum facultatis, alter vero similem omnino; nec magis aut minus perfectam voluntatem haberet, & præterea, quia adesset facultas, edificaret, hic laudabilior esset, & maiori dignus præmio, quā ille.

CON

## CONCLUSIO.

30. *Actus externus superaddit bonitatem actui interno.*Actus ex-  
ternus su-  
peraddit  
bonitatem  
interno.

Hæc est Doctoris quodl. 18. a. 3. cum suis omnibus contra Thomistas, quos citat & sequitur Auerſa q. 20. f. 5. & ſolet variis rationibus ſtabiliri, quas quia examinaui in Commentatio meo. diſt. 42. numero 68. & ſeq. nolo iam proponere, contentus eâ ſola, quæ mihi eſt vnicum fundamentum huius conſuſionis.

*Actus externus malus*, ſuperaddit aliquid malitiæ actui interno: ergo externus bonus ſuperaddet bonitatem: conſequentia eſt certa, quia eſt eadem ratio ſecundum omnes.

*Probat*ur antecedens, quia alias non teneretur quis conſiteri actum externum, verbi gratia, homicidium aut adulterium; ſed ſufficeret conſiteri actum internum, nempe quod habuerit deſiderium efficaciffimum occidendi aut adulterandi: ſed hoc eſt contra praxim Eccleſiæ Vniuerſæ & illos ipſos Authores, qui tenent oppoſitum conſuſionis: ergo non eſt aſſerendum.

*Probat*ur ſequela, quia ſi non augeat malitiam actus internus, aut non facit vt occidens aut adulterans ſit peior ac vituperabilior ac dignior maiori pœna, quam ſi non occideret, ſed ſolum æque deſideraret occidere, nulla prorsus eſt ratio, ob quam deberet occiſionem aut adulterium conſiteri.

*Reſpondet* Lorca eſſe rationem, vt ſcilicet ſic exprimat intentionem & grauitatem actus interni.

31. *Contra* quia per conſeſſionem actus externi præcile non explicatur intentio aut grauitas actus interni aliter, quam quatenus ſignificatur, quod fuerit efficax ex ſe ad actum externum, & talis qualis ſufficeret ad eum ponendum ſi facultas eius ponendi eſſet penes elicientem actum internum: ſed huiusmodi intentio & grauitas poſſet explicari ſufficienter abſque conſeſſione actus externi dicendo quod habuerit deſiderium tã efficaciam quam ſufficeret ad poſitionem actus, ſi ad eſſet facultas & continuatum tanto tempore, quantum requireretur ad actum externum.

*Adde* intentionem & grauitatem actus colligi talem ex actu externo, non eſſe circumſtantias variantes ſpeciem actus, & conſequenter ſecundum aduerſarios non debere illam explicari in conſeſſione: ergo in ordine ad hoc non eſt conſitendum peccatum externum.

32. *Reſpondent* alii rationem eſſe, quia ſæpe ob actum externum reſtitutio aliqua facienda eſt, quam præcipiet Conſeſſarius, niſi pœnitens ipſum conſiteretur: ergo in ordine ad hoc eſt explicandus.

*Contra* quia ſi ſolum in ordine ad hoc quis teneretur conſiteri peccatum externum, non deberet illud conſiteri quando reſtitutio nõ eſſet facienda, vt ſi iam eſſet facta aut cõſitens haberet firmum proſitum per ſe reſtituendi, aut peccatum eſſet tale, ob quod non deberet fieri vlla reſtitutio, vt eſt peccatum voluntariæ pollutionis: ſed hoc etiam eſt abſurdum & contra praxim Eccleſiæ: ergo

*Et hinc patet* non valere, quod alii dicunt, conſitendum eſſe peccatum externum in ordine ad instructionem aliquam particularem habendam à Conſeſſore; nam poteſt fieri, quod pœnitens ſit talis, vt nulla indigeat, & vt omnis quæ dari poſſet tam bene competeret ob actum internum quam ob externum, ſupponendo quod hic non ſuperadderet malitiam.

*Nec magis valet* aliorum ratio dicentium explicari debere actum externum ob ſcandalum & cooperationem ad peccatum alterius; quia hinc ſequeretur non debere quem conſiteri peccata externa, quæ ſolus committeret; & quia vel maius eſt peccatum ſcandalizare externe, & dare occaſionem peccandi aliis, quam velle interne efficaciter hoc facere, vel non eſt maius, ſi maius habetur intentum; ſi non; certe nec propter hoc debet quis conſiteri, quod ſcandalizauerit externe, ſed ſufficit dicere, quod deſiderauerit efficaciter ſcandalizare, ſeu facere id quod ſcandalizaret.

33. *Alij reſpondent* ideo debere explicari in conſeſſione actum externum, quia facit vnum per ſe peccatum cum interno.

*Contra*, quia præterquam quod hoc ſit falſum, adhuc vel eo eo, quod facit cum ipſo vnum peccatum, ſequitur quod homo cum ponit actum externum, grauius peccat & habetur intentum; vel non ſequitur, & tunc non eſt prorsus ratio cur debeat explicari, etiam ſi faciat vnum per ſe cum interno, ſicut non debent explicari circumſtantia non aggravantes.

*Deinde* eatenus faceret vnum per ſe, quatenus eſt obiectum actus interni aut effectus eius, ſed vt ſic poſſet explicari ſufficienter dicendo, quod fuerit efficaciter volitus.

*Reſpondet* Vaſques ratione conſeſſionis actus externi eſſe, quia ab eo deriuatur malitia in internum actum

*Contra*: quia non magis deriuatur malitia in actum internum ab externo per hoc, quod ponatur in eſſe, quam quod non ponatur, ſed ſolum efficaciter deſideretur; alias vera eſſet noſtra conſuſio: ergo ob hoc non debet quis ipſum conſiteri.

*Optima* omnium Reſponſio eſt, quod propterea tenemur conſiteri peccata externa, quia reuera ſunt peccata & tenemur conſiteri omnia noſtra peccata.

34. *Contra* tamen quia non tenemur conſiteri niſi, quod ſufficit ad explicandum ſpeciem & numerum noſtrorum peccatorum (taceo de circumſtantiis non mutantibus ſpeciem, ſed augmentibus, quia non faciunt ad proſitum) ſed ſi actus externus non addat malitiam interno, conſitendo internos actus cum ſua ſpecie ex circumſtantiis, explicat quis numerum & ſpeciem ſuorum peccatorum abſque conſeſſione actus externi: ergo non debet ipſum conſiteri quamuis ſit peccatum.

*Conſirmatur*, quia ſi actus externus non ſuperaddat malitiam, nec facit hominem grauiorem peccatorem, quam ſine ipſo, etiam ſi eſſet peccatum, non eſſet ratio vlla aut cõgruentia, cur ordinaretur conſeſſio ipſius: ergo ſignum eſt, quod quãdoquidem ſit ordinata, dicat malitiã diſtinctã à malitiã actus interni, quod eſt interũ.

*Dices*: eſſe rationem vt ab eo homines retraherentur, quia patet experientia obligationem conſeſſionis retrahere homines à multis peccatis.

*Contra*, quia eatenus deberet obligatio conſitendi ad adulterium externum magis retrahere ab adulterio externo, quam obligatio conſitendi deſiderii efficacis ipſius, vt ſupponitur in hac reſponſione, quatenus ob verecundiam difficilius eſſet ipſi ipſum conſiteri, quã deſiderium ipſius; ſed non deberet hoc eſſe ipſi difficilius, niſi quatenus ſupponeretur aut apprehenderetur eſſe maior malitia aut turpitudine in eius commiſſione, quam in ſolo deſiderio: ergo niſi ſit, non deberet quis teneri ad eius conſeſſionem ob hunc finem.

*Conſirmatur*, quia ſi velit Deus retrahere homines ad adulterio verbi gratia, per obligationem conſeſſionis, potius deberet prohibere particulariter ipſummet, ſignificando, quod non ſolum eſſet offeſus deſiderio efficaci eius, ſed quod ulterius etiam offenderetur ipſomet, ita vt vellet punire magis eum, qui vtrumq; committeret, quam qui ſolummodo efficaciter deſideraret committere; hoc enim ſuppoſito, qui adulterium committeret haberet occaſionem maioris erubefcentiæ & conſequenter maiorem difficultatem conſitendi, quã ſi ſolummodo deſideraret committere ipſum: ergo ſi ſit illa obligatio in ordine ad hunc finem, dicendum eſt, quod Deus hoc modo ſe habuit; ſed ſi ſic, certum eſt quod peccatum extremum ſuperaddat malitiam interno in ſenſu conſuſionis.

*Hinc autem* probatur cõcluſio aliter: Deus poſſet ita ordinare, vt magis eſſet ipſi acceptabilis actus externus cum interno bono, & magis diſplicens actus externus cum interno malo, quã ſolus internus eiũdem intentionis & naturæ quoad cetera, quãuis non eſſet à parte rei ratio ob quã ſic ordinaret niſi ſua voluntas, aut motiua aliqua extrinſeca: ſicut enim prohibuit Adã pomũ vetum, in cuius prohibitione potius, quã aliorũ fructuum, nulla erat ratio ex natura rei, quæ ſufficeret ad hoc: ita videtur quod Deus poſſet hoc modo ſe habere, ſeu res ordinare: ſed ſi ita fieret, manifeſtum eſt, quod

E e

pecca

peccatum externum superadderet malitiam interno & actus bonus externus bonitatem actui bono interno in sensu controuerso: ergo potest fieri, quod ita sit: sed si potest fieri, debet dici, quod de facto ita sit, quia alias non deberet præcipi confessio peccatorum externorum ut iam dixi: ergo.

36. *Obiicies primo, Voluntas*, inquit, Apostolus 2. Cor. 8. *prompta est secundum id quod habet accepta, non secundum id, quod non habet*: quo in loco Paulus exhortans ad eleemosynas docet minus dantem cum maior facultas non sit, tantum habere præmii ac meriti quantum, qui dat multum, sed hoc non esset verum, nisi conclusio esset falsa: ergo.

*Respondeo* negando Paulum docere, quod prætenditur in maiori, sed solum vult, quod nemo obligetur ad faciendum, quod non potest, & quod voluntas prompta ac cupida benefaciendi, seu largiendi eleemosynas seu alia faciendi habebit præmium suum, & non carebit præmio ex eo, quod non ad sit facultas, quæ explicatio est facilis, & iuxta Chrysost. eodem loco: sed inde non sequitur, quod quis simul cum voluntate æq; prompta etiam facit plura opera externa, non magis mereatur.

37. *Obiicies secundo, August. 1. de lib. arb. cap. 3. Si cui etiam*, inquit, *non contingat facultas concubandi cum coniuge aliena, plenum tamen aliquo modo sit, id cum cupere, & si potestas detur facturum esse, non minus reus est, quam si in facto deprehenderetur*. Item in ep. ad Deo gratias: *in voluntate bona meretur bonus bona facta, & in voluntate mala meretur malus mala facta, & in ea meretur ei miseria*.

*Respondeo* primum locum intelligendum sicut ipsemet August. intelligit alterum similem locum Iacobi secundo. Quicumque totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus, quantum scilicet ad damnationem incurrendam & perdendam gratiam; non quantum ad hoc, quod æque grauiter peccaret ac si omnes leges violaret.

Iuxta hoc explicari posset etiam secundus locus, qui tamen reuera non videtur esse ad propositum villo modo; nam sensus manifestus est, quod qui habet voluntatem bonam & opera ab ea procedentia, ratione voluntatis bonæ præmiabitur, quatenus scilicet non præmiaretur nisi esset talis voluntas, quamuis illa sola non sufficeret ad tantum præmium; quantum correspondet illi simul cum bono opere externo.

Iuxta, quod explicari possunt reliquæ autoritates

38. *Obiicies tertio, Actus externus non habet distinctam libertatem ab interno*: ergo nec bonitatem, quia hæc fundatur in libertate.

*Respondeo* negando consequentiam, quia possent duæ bonitates fundari supra eandem libertatem.

*Dices* non esse maiorem rationem asserendi vnicam libertatem in externo & interno, quam vnicam bonitatem: ergo si vnum admittitur, alterum admitti debet.

*Respondeo* supposito antecedenti obiectionis, negando antecedens huius replicæ, & ratio disparitatis est defumenda ex fundamentis huius conclusionis & sententiæ asserenti eandem esse libertatem vtriusque actus.

*Obiicies quarto, sequeretur* quod ex duobus hominibus æque intendentibus mortem alterius & ipsi etiam cum eo animo vulnerantibus, grauius peccaret, qui fortuito vulnerauit vulnere, ex quo secuta est mors: sed hoc videtur absurdum, quia alias verteretur laudi alicui ac vituperio aliquid quod mere esset casuale ac fortuitum ac à seipso totaliter independens.

*Respondeo* negando sequelam, quia quod vulnus sit lethale ex quo capite solum est grauius physice, non est in potestate ipsius ut suppono: actus autem externus talis aut talis, quoad substantiam est in potestate volentis, & propterea potest esse bonus moraliter aut malus.

## DISPUTATIO XXVI. DE ACTV MALO, ET INDIFFERENTI.

**Q**UONIAM quo melius cognoscitur natura actus mali & indifferentis, eo facilius cognosci poterit, quisnam sit actus bonus; talis enim est quicumque moralis, qui non erit malus, nec indifferentis; & quia etiam vterque huiusmodi actus est species actus moralis ut sic; & mali sunt impedimenta beatitudinis, dependentia à nostra libertate, non poterit dubitari, quin agere de illis spectet ad hunc tractatum, coniungo autem vtriusque tractationem in eadem disputatione, quia vna tantum quaestio proponi solet de actu indifferenti; de quo propterea etiam prius agam, & ut facilius declarari possit natura actus mali.

### QVÆSTIO I.

*An detur actus indifferentis moralis.*

1. **C**ertum est, dari posse actum indifferentem etiam internū volūtatis, qui scilicet neq; bonus sit neq; malus ob defectum libertatis; talis enim esset omnis ille, qui à solo Deo produceretur in voluntate, merè passivè se habente, & si qui alii essent, ad quos necessitaretur voluntas: vnde de illis non quaeritur hic, sed de actibus moralibus ac liberis, an scilicet tales dentur, qui nec sint boni nec mali: quam difficultatem examinaui in meo commentario ad dist. 41. n. 6. vnde huc transferam, quæ necessaria sunt breuius, & si poterō clarius.

### CONCLUSIO I.

2. *Possunt dari actus morales indifferentes, quoad speciem ac individuum, considerato non solum obiecto, sed omnibus circumstantiis, ex opinione probabili quam eliciens haberet de tali indifferentia*. Hæc est recentiorum communiter contra Medinam, Salam, Montefinum, Lorciam.

*Probat*ur: si actus aliquis appareret probabiliter bonus, quamuis reuera esset malus, bene moraliter eliceretur, & si actus appareret probabiliter malus, qui reuera esset bonus, male eliceretur: ergo si actus apparet Scotistæ verbi gratia, sequenti sententiam probabilem sui doctoris, esse indifferentem moraliter ex omni capite, erit actus indifferentis: neque enim erit bonus, cum non appareat bonitas; neque malus, cum non appareat malitia.

### CONCLUSIO II.

3. *Potest dari actus ex obiecto indifferentis cum plenissima deliberatione & aduertentia ex se, & natura sua independenter à recurſu ad sequelam opinionis probabilis*. Hæc est Doctoris supra cum suis & Thomistis etiam, qui propterea concedunt actus quoad speciem posse esse indifferentes, quamuis non possint esse tales quoad individuum; quia si eliciantur in individuo, putant necessario ad futuram aliquam circumstantiam, qua fiant vel bona, vel mala.

*Probat*ur autem: quia obiecta aliquarum actionum possunt esse indifferentia, hoc est nec bona, nec mala, ut tollere fusticam, sputare, comedere aliquid non offendens ob delectationem: ergo & actiones circa illa versatæ erunt indifferentes ex obiecto.

*Dices*: obiecta illa debere esse aliquo modo bona, quia, ut communiter supponitur ab iis, qui tenent hanc conclusionem, voluntas non potest velle nisi bonum aliqua bonitate: ergo non possunt esse actus vlli indifferentes ex obiecto.

*Respondeo* distinguendo consequens: absque aliqua bonitate vel malitia, concedo; absque bonitate honesta, aut malitia ipsi opposita, nego consequentiam.

*Proba*